

testate pro pignore omnia in duplo ipso vestro precio valente ut si minime fecero vos ad deliberandum in constituto termine hoc ordine ut superius legitur tunc tribuant vobis potestatem accedere et dononorare (*sic*) toto ipso vestro pignore tamquam per legitimum documentum nullo vobis homine contradicente ecc.

XXIV.

(a pag. 341).

*Investitio Rever. Dni de Blasii de Molino Patriarce
Gradensis ex Commemorial. XII, c. 84 t.*

Millesimo quadringentesimo vigesimo nono, Indictione octava, die quartodecimo mensis decembris Venetiis in ecclesia beati Marci Evangeliste coram maiori altari ipsius ecclesie presentibus Magnifico Comite Francisco dicto Carmignola capitaneo generali gentium armigerarum serenissimi ducalis domini Venetiarum, venerabili viro p̄bro Victore de Bonfantinis plebano Sancti Leonis de Venetiis, vicario reverendi patris domini Polidorii Foscari primicerii ecclesiae prelibate et aliis multis cappellanis et clericis ac etiam numerosis nobilibus et civibus Venetiarum. Serenissimus Princeps et dominus dominus Franciscus Foscari Dei gratia inclitus dux Venetiarum etc. per impositionem sui annuli consueti post celebrationem solemnissimam investivit Reverendum in Christo patrem et dominum dominum Blasium de Molino Dei apostolice sedis gratia patriarcham Gradensem coram dicto altari genuflexum omnibus jurisdictionibus et bonis temporalibus pertinentibus patriarchatui Gradensi existentibus in ducatu Venetiarum. Et deinde precepit presbitero Victori vicario suprascripto, quatenus debeat ponere antedictum reverendum dominum patriarcham in tenutam et corporalem possessionem omnium et singulorum bonorum temporalium patriarchatus prenominati existentium in ducatu Venetiarum prenominato.
